




EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB.BAR.de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Re. 10.*





JOAN. LUD. VIVIS  
Valentini

INTRO-  
DUCTIO  
Ad  
VERAM SAPI-  
ENTIAM.



REGIOMONTI,  
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.  
ET ACAD. TYPOG.

---

ANNO MDC. LXXIII



KÖNIGLICH  
UNIVERSITÄT  
ZWEHÄLTIG





**JOAN. LUDOVICI**  
**VIVIS VALENTINI,**  
**AD SAPIENTIAM**  
 introductio.

1. **V**ERA sapientia est, de rebus  
 incorruptè judicare, ut talem  
 unamquamque existimemus,  
 qualis ipsa est: ne vilia sectemur,  
 tanquam preciosa; aut preciosa tanquam vilia  
 rejiciamus: ne vituperemus laudanda; neve lau-  
 demus vituperanda.

2. Hinc enim error omnis in hominum menti-  
 bus; ac vitium oritur: nihilq; est in humana vita  
 exitiabilius, quàm depravatio illa judiciorum,  
 quum rebus non suum pretium redditur.

3. Quocirca perniciosæ sunt vulgi opiniones,  
 quæ stultissimè de rebus judicant.

4. Magnus erroris magister, populus.

A 2

5. Nec

5. Nec aliud magis laborandum est, quàm ut sapientiæ studiosum à populari sensu abducamus & vindicemus.
6. Primum omnium suspecta illi sint, quæcunque multitudo magno consensu approbat: nisi ad illorum normam revocarit, qui singula virtute metiuntur.
7. Assuescat unusquisque jam tum à puero veras habere de rebus opiniones, quæ simul cum ætate adolescent.
8. Etea cupiat, quæ recta sint; fugiat, quæ prava: ut assuefactio hæc bene agere, vertat ei prope in naturam: ut non possit, nisi coactus & reluctans, ad male agendum pertrahi.
9. Eligenda est optima vitæ ratio: hanc consuetudo jucundissimam reddet.
10. Tota reliqua vita ex hac puerili educatione pendet.
11. Ergo in curriculo sapientiæ primus gradus est, ille veteribus celebratissimus, **SEIPSUM NOSSE**



## DIVISIO RERUM.

1. **H**omo ex corpore constat & animo, Corpus habet



habemus ex terra, & his elementis, quæ cernimus ac tangimus, corporibus bestiarum simile.

**13.** Animum divinitus datum, Angelis & Deo similem, unde censetur homo; & qui solus meritò esset homo appellandus, ut maximis viris placuit.

**14.** In corpore sunt forma, sanitas, firmitas, integritas, robur, celeritas, delectatio; & his contraria, deformitas, morbus, mutilatio, imbecillitas, tarditas, dolor, & alia corporis seu commoda, seu incommoda.

**15.** In animo eruditio, & virtus; & contraria, ruditas, vitium.

**16.** Extra hominem sunt divitiæ, potentia, nobilitas, honores, dignitas, gloria, gratia; & contraria his, paupertas, inopia, ignobilitas, vilitas, dedecus, obscuritas, odium.



## RERUM NATURÆ, AC PRECIA.

**17. R**egina & princeps rerum omnium præstantissima est Virtus: cui reliqua omnia, si suo velint officio defungi, ancillari oportet.

A 3

**18.** Vir

- 18.** Virtutem voco, pietatem in Deum & homines, cultum Dei, & amorem in homines, voluntatemq; benefaciendi.
- 19.** Reliqua si quis ad virtutem hanc referat, non mala videbuntur.
- 20.** Nec, qui primum hæc nuncupavere bona, sic de illis senserunt, ut nunc vulgus: quod veros illos ac naturales significatus corrupit: unde & rerum æstimationes mutatae sunt.
- 21.** Sic enim sunt intelligenda hæc, quatenus censentur bona. Divitiæ sunt, non gemmæ, aut metalla, non magnifica ædificia, vel suppellex instructa: sed non iis carere, quæ sunt ad tuendam vitam necessaria.
- 22.** Gloria, bene audire de virtute.
- 23.** Honor, veneratio ob virtutem.
- 24.** Dignitas, recta hominum opinio de magna virtute.
- 25.** Potentia & regnum, habere multos quibus probè ac rectè consulas.
- 26.** Nobilitas, excellentia actuum esse cognitum: vel, à bonis prognatum, similem parentum se præbere.
- 27.** Generosus est, ad virtutem à naturà optimè compositus.

**28.** Sani-

28. Sanitas, talis habitudo corporis, ut valeat mens.
29. Species, lineamenta corporis, quæ animum formosum ostendant.
30. Vires & robur, ut exercitiis virtutis sufficias, ne facilè defatigeris.
31. Voluptas, delectatio pura, solida & diuturna, qualis capitur ex iis solis, quæ ad animum pertinent.
32. Si quis hæc aliter, ut à populo videlicet intelliguntur, discutiat ac expendat, reperiet inepta, vana, noxia esse.
33. Primum externa omnia vel ad corpus referuntur, vel ad animum: ut divitiæ ad tuendam vitam, honor ad iudicium virtutis.
34. Corpus ipsum nihil aliud est, quàm tegumentum, vel mancipium animi, cui & natura, & ratio, & Deus ipse jubent subiectum esse, ut brutum sentienti, mortale immortali ac divino.
35. Porrò in ipso animo eruditio in hoc paratur, ut cognitum vitium facilius fugiamus, cognitam virtutem facilius persequamur, teneamusq;: alioqui supervacanea est.
36. Quid aliud est vita, quàm peregrinatio quædam, tot undiq; casibus objecta & petita? cui nul-

la hora non imminet finis, qui potest levissimis de causis accidere.

**37.** Quare stultissimum est, cupiditate tam incertæ rei, fœdum aliquid aut pravum agere.

**38.** Et quemadmodum in via, sic in vita, quo quis expeditior, & paucioribus sarcinis implicitus est, hoc facilius & jucundius iter facit.

**39.** Tum natura humani corporis ita constituta est, ut paucissimis egeat: ut si quis animadvertat, haud dubiè infania damnet eos, qui tam multa tam anxie congerunt, quum sit tam paucis opus.

**40.** Divitiæ namq;, & possessiones, & vestimenta, in usum tantum parantur: quem non adjuvant immensæ opes, sed opprimunt, ut navem ingentia onera.

**41.** Nec aurum, si non utare, à cœno differt: nisi quod magis angit ejus custodia, & efficit, ut, dum illi uni studes, ea negligas, quæ maximè sunt homini curanda.

**42.** Est enim pecunia idolorum servitus, quum ei reliqua post habentur, nempe pietas & sanctum.

**43.** Vt transeam, quot insidiæ divitiis tendantur, quot & quam variis casibus pereant, in quam multa vitia detrudant.

**44.** Culta

44. Culta vestimenta quid aliud sunt, quàm superbiæ instrumenta?

45. Utile indumentum excogitavit necessitas, preciosum luxus, elegans vanitas. Suborta est in vestitu contentio: hæc multa docuit supervacanea & damnosa: dum homines etiam ex eo, quod infirmitatem nostram arguit, honorem capient.

46. Ita divitiarum pars maxima, ædificia, supellex numerosa & opulenta, gemmæ, aurum, argentum, ornamentorum omne genus, spectantium oculis & comparantur, & exponuntur, non possidentium usibus.

47. Jam nobilitas quid est aliud, quàm nascendi fors & opinio, à populi stultitia inducta? ut quæ sæpenumerò latrociniis quæritur.

48. Vera & solida nobilitas à virtute nascitur: stultumq; est, gloriari te parentem habuisse bonum, quum sis ipse malus, & turpitudine tua dedecori sis pulchritudini generis.

49. Sed certè omnes ex iisdem constamus elementis, & idem omnium pater Deus.

50. Ignobilitatem contemnere, hoc est, Deum nascendi autorem tacitè reprehendere.

51. Potentia quid est aliud, quàm speciosa molestia? in qua, si quis sciret, quæ sollicitudines, quæ

anxietates insint, quantum malorum mare, nemo est tam ambitiosus, qui non eam fugeret, ut gravem miseriam.

52. Quantum est odium, si regas malos? quanto majus, si malus ipse?

53. Honor, si ex virtute non oritur, pravus est: si ex virtute, hoc præstat virtus, ut is negligatur: aliter vera non erit virtus, si quid honoris facit gratia; sequi enim debet honor, non expeti.

54. Dignitates quis potest sic appellare, quum indignissimis quoq; hominibus contingant; nempe fraude, ambitione, præmiis, pessimis artibus quæsitæ.

55. Et gloria, est ne aliud, quàm, ut ille dixit, Aurium vana inflatio?

56. Ex qua, ut honore & dignitate, nihil omnino ad eum pertingit, de quo sunt, & incertæ, vagæ, iniquæ, momentaneæ sunt, similes parentis suæ multitudinis, quæ eodem die eundem hominem & commendat atq; evehit summè, & vituperat ac deprimit extremè.

57. Quid dicam nasci hæc ex rebus partim deridendis, partim stultis, partim sceleratis? sicut ludo pilæ, profusione patrimonii in comesationes, scurras, mimos: bello potissimum, hoc est impunito latrocinio; quo magis vulgi dementiam agnoscas.

58. Sece-

**58.** Secedat in se unusquisq; ac solus cogitet: inueniet quàm parum ad se pertingat ex fama, rumoribus, veneratione, honore populi, de quibus gloriatur.

**59.** Quid in somno, quid in solitudine, inter summum regem interest, & infimum servum?

**60.** Deniq; sic unusquisq; sentiat, nobilitatem, honores, potentiam, dignitates, ex prisca hominum persuasione, quam Christus animis suorum ademit, nata & relicta esse, & in Christianos homines inuenta, tanquam lolium, quod hostis diabolus asperit bonæ segeti Dei.

**61.** In corpore ipso quid est forma? nempe cuticula bene colorata. Si interiora cerni possent, quanta vel in corpore speciosissimo cerneretur foeditas?

**62.** Lineamenta & corporis decor quid iuvant, si turpis sit animus: & sicut Græcus ille dixit, In hospitio pulchro hospes deformis?

**63.** Robur quorsum pertinet in homine, quum res maximæ & homine dignæ, non viribus nervorum gerantur, sed ingenii?

**64.** Nec vires, quantumcunq; augeantur, majores erunt quàm tauri, vel elephanti, ratione illos, ingenio, virtute superamus.

**65.** Tran-

65. Transeo, quòd forma, vires, agilitas, & cæteræ corporis dotes, ut flosculi, celeriter marcescunt, atq; exiguis casibus diffugiunt, vel una febricula validissimum quandoq; hominem concutit, & summum decorem tollit.

66. Ut nihil accidat, certè necesse est illa omnia cum ætate flaccescere, ac decidere.

67. Nemo ergo potest externa jure sua dicere, quæ tam facilè ad alios transeunt: nec corpora, quæ tam citò avolant.

68. Quid, quod hæc, quæ multi admirantur, magnorum vitiorum sunt causæ: velut insolentiæ, arrogantia, socordia, ferocitatis, livoris, æmulationis, simultatum, rixarum, bellorum, cædis, stragis, cladis?

69. Delectatio corporis, ut corpus ipsum, vilis ac pecudina est, qua sæpius, & vehementius, & diutius pecora quam homines perfruuntur.

70. Ex hac cum morbi pleriq; ad corpus redundant, & ad rem familiarem permagna damna: tum ad animum certa pœnitentia, & hebetudo ingenii, quod deliciis corporis extenuatur, ac frangitur: deniq; odium virtutum omnium.

71. Nec apertè frui licet, nam ut dedecent generositatem nostræ mentis, ita nemo tam perditus est, qui eas erubescat apud arbitros capere; pariunt enim

enim



enim ignominiam: idcirco tenebras & latebras quærunt.

**72.** Quid, quòd sunt fugacissimæ, & momentaneæ, nec retineri ulla vi possunt, nec umquam veniunt puræ, cujuscunq; amaritudinis expertes?

**73.** Ergo exclusis vulgi sensibus, maximum malum putato, non paupertatem, aut ignobilitatem, aut carcerem, aut nuditatem, ignominiam, deformitatem corporis, morbos, imbecillitatem: sed vitia, & his proxima, inscitiam, stuporem, dementiam.

**74.** Magnum bonum credito horum contraria: virtutem, & quæ huic sunt finitima, peritiam, acumen ingenii, sanitatem mentis.

**75.** Reliqua vel externa, vel corporis si habes, proderunt tibi ad virtutem relata: oberunt, ad vitia. Si non habes, cave ne quæras vel cum minimo dispendio virtutis. Prolixus quæstus est pietas cum sufficientia.

**76.** Fama, tametsi nihil agendum est, ut videaris, conservanda tamen est integra: quòd interdum ea cura à multis nos turpibus cohibet: sed præcipuè in exemplum cæterorum.

**77.** Unde præceptum illud sapientium & sanctorum virorum: nec malum faciendum, nec ejus simile.

**78.** Quod

**78.** Quod si hoc assequi non possumus, conscientia debemus esse contenti, & quum tam depravati erunt hominum sensus, ut, quæ sunt optima, putent esse sceleratissima: tunc laborandum erit, ut interna & externa soli Deo approbemus, idq; abundè nobis sufficiat.

**79.** Etiam mala quæ dicuntur corporis, vel fortunæ, licebit in bonum vertere, si patienter feras: & tanto sis ad virtutem promptior, quo minus tibi in illis succedit, ac proinde es expeditior.

**80.** Sæpenumerò ex damnis corporis, vel exteriorum, magnæ sunt accessiones virtutibus natæ.



## DE CORPORE.

**81.** **E**T quoniam in hac nostra peregrinatione animum gestamus in corpore inclusum, maximasq; opes in vasis fictilibus, non omninò repudiandum nobis est & contemnendum corpus.

**82.** Sic curandum tamen, ut se non dominum, non socium esse sentiat, sed mancipium: nec sibi pasci aut vivere, sed alteri.

**83.** Quo curatius est corpus, hoc animus negligentior.

**84.** Quo

84. Quo mollius habetur corpus, hoc acrius menti reluctatur, & ut equus delicatè pastus, sefforem excutit.

85. Gravis sarcina corporis animum elidit: acumen ingenii, saginâ corporis, aut indulgentiâ retunditur.

86. Cibi, somni, exercitationes, tota corporis curatio, ad sanitatem referenda est, non ad voluptatem: ut animo prompte inserviat, nec ferociâ cultus insolescat, neu virium inopiâ decidat.

87. Nihil est, quod æquè & vigorem mentis debilitet, & robur ac nervos corporis infringat, ut voluptas. quippe vires omnes & corporis & mentis, opere ac labore vegetantur, ocio & mollicie voluptatis languescunt.

88. Mundicies corporis, & victus, citra delicias aut morositatem, ad valetudinem & ingenium confert.

89. Ablues subinde manus & faciem frigidâ, detergesq; mundo linteolo.

90. Repurgabis crebrò eas partes, quæ sordibus & recrementis ad extima corporis meatus præbent.

91. Hæ sunt, caput, aures, oculi, nares, axillæ & pudenda.

92. Pedes mundi & calidi foveantur.

93. Arceatur frigus cum ab aliis partibus, tum vel maximè à cervice.

94. Ne

94. Ne statim edas à quiete, nec ante prandium, nisi tenuiter.

95. Jentaculum enim sedando stomacho, aut refocillando datur corpori, non satietati.

96. Ideo tres aut quatuor panis buccæ sufficiunt, sine potione, aut certè exigua, atq; ea tenui, salutare hoc non minus ingenio, quam corpori.

97. In prandio & cœna assuesce non vesci, nisi ex uno oblonii genere, eodemq; simplicissimo, & quantū per facultates licebit, saluberrimo, quamvis multa mensæ inferantur: & si tua sit mensa, noli admittere.

98. Varietas ciborum homini pestilens; pestilentior condimentorum.

99. Munda & pura parsimonia, temperatis & castis animis congruens, conservatrix rei familiaris: & quæ sola efficit, ne multis indigere nobis videamur: nec suscipiamus pessima facinora quæstus gratia, quo gulæ morem geramus, irritatæ vel luxu, vel lauticiis, vel delicatis nimium & exquisitis cibis.

100. Tum præstat, ut, quæ adsunt, non modo nobis sufficiant, sed ex eis liceat egentibus impartiri.

101. Ostendit hoc Dominus exemplo sui, qui post exsaturatam multitudinem, reliquias perire panum & piscium non est passus.

102. Na-

102. Natura necessaria docuit, quæ sunt pauca, & parabilia. Stultitia superflua excogitavit, quæ sunt infinita, & difficilia.

103. Natura, si des necessaria, delectatur, & roboratur, tanquam propriis: si superflua, debilitatur, & affligitur, tanquam alienis.

104. Stultitiam necessaria non explent: superflua quum obruant, non satiant.

105. Potus erit, vel naturalis ille, universis animalibus in commune à Deo paratus, pura & liquida aqua: vel tenuissima cerevisia: vel vinum bene dilutum.

106. Nihil est quod juvenum corporibus magis officiat, quam calidus cibus, aut potus. Incendit enim & exurit eorum viscera, agitq; in libidinem & temeritatem præcipites.

107. A cœna ne bibe: aut si id admonet sitis, sume humidum aliquid & frigidiusculum, aut perpusillum tenuis potiunculæ.

108. Inter eam potionem & quietem, interpone, quàm minimum, horæ dimidium.

109. Levaturus animum, fac cogites, quàm exiguum tempus datum sit vitæ hominum: ex illo non oportere multum descindi ad lusus, ad comestationes, ad puerilitates, ad ineptias.

B

110. Bre-

<sup>110.</sup> Breve spatium esse vitæ nostræ, etiam si totum bonæ menti impenderetur.

<sup>111.</sup> Non esse nos à Deo creatos ad lusum, aut nugas: sed ad seria, ad moderationem, modestiam, temperantiam, religionem, omne genus virtutis & laudis.

<sup>112.</sup> Morbos Corporis, morbis animi ne curaveris, <sup>113.</sup> Exercitationes corporis non erunt immodicæ: cæterum aptandæ rationi valetudinis: in quo sequenda erunt medicinæ consultorum consilia: sic tamen, ne quid habeant turpe, immodestum, obscœnum, flagitiosum.

<sup>114.</sup> Etiam in remissionibus, & refectionibus animi, adsit aliqua memoria virtutis.

<sup>115.</sup> Absit arrogantia, contentio, rixa, invidia, cupiditas. Quî enim convenit cruciare animum, dum delectare studes? non aliter quàm si fel infundas in id mel, quod cupis esse quàm dulcissimum.

<sup>116.</sup> Somnus sumendus est, tamquam medicina quædam, curando corpori: tantummodo quantum sufficit. Immodicus enim reddit corpora redundantia noxiis humoribus, segnia, pigra, lenta, & celeritatem mentis tardat.

<sup>117.</sup> Nec est existimandum vitæ id tempus, quod somno impenditur: vita enim vigilia est.



## DE ANIMO.

118. **I**n animo duæ sunt partes: illa quæ intelligit, meminit, sapit, ratione, iudicio, ingenio utitur ac valet, hæc pars superior appellatur, & proprio nomine, Mens: qua homines sumus, qua Deo similes, qua cæteris animantibus præstamus.

119. Est altera, ex conjunctione corporis bruta, fera, atrox: bestia quam homini similior: in qua sunt motus illi, qui sive affectus, sive perturbationes nominantur, græcè πάλιν: arrogantia, invidentia, malevolentia, ira, metus, mœror, cupiditas, stulta gaudia; Pars inferior nominatur etiam Animus: qua nihil à beluis differimus, & quam longissimè discedimus à Deo, extra morbum & perturbationem omnem posito.

120. Hic est naturæ ordo, ut sapientia regat omnia: pareant homini cætera, quæ videmus: in homine verò corpus animo, animus menti, mens Deo. Si quid hunc ordinem egreditur, peccat.

121. Ergo peccatum est, in homine perturbationes illas tumultuari, sævire, ac trahere ad se jus &

ditionem totius hominis, spretâ & contempta-  
mente: mentemetiam, relictâ Dei lege, animo &  
corpori servire.



## DE ERUDITIONE.

122. **I**dcirco menti indita est vis intelligendi, ut  
singula expendat, sciatq; quid factu bonum  
sit, quid secus: & vis volendi summa, ut imperio  
hujus nihil sit in animo, quod non pareat, si illa  
contendat, nec de jure decedat suo.

123. Ingenium multis artibus, & humanis & di-  
vinis excolitur, & acuitur, instruiturq; magnâ &  
admirabili rerum notitiâ, quo exactius singulo-  
rum naturas & precia cognoscat: possitq; volun-  
tatem docere, quid sequendum bonum, quid vi-  
tandum malum.

124. Igitur fugiendæ artes illæ, quæ cum virtute  
pugnant: quales sunt divinatrices omnes, quæ  
Græcis *μαντεῖαι* dicuntur: ut chiromantia, pyro-  
mantia, necromantia, hydromantia, etiam astro-  
logia: in quibus est plurimum exitiabilis vanita-  
tis, excogitatæ ab impostore nostro diabolo.

125. Tra-



125. Tractantq; & profitentur id, quod sibi uni Deus reservavit, futuram & abstrusarum rerum peritiam.

126. Nec inquirendum in Dei majestatem, & arcana à cognitione nostra procul remota, à quibus Deus hominem arcuit.

127. Qui scrutatur majestatem, opprimetur à gloria.

128. Et Paulus jubet nos non plus sapere, quàm oporteat: sed sapere ad moderationem. Hebræus quoque concionator inquit: altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.

129. Et arcana illa, quæ vidit, negat licere homini eloqui.

130. Vitanda ars omnis à dæmone tradita, cum quibus, velut Dei hostibus, nullum debet nobis esse commercium.

131. Nec expedit vel philosophorum, vel hæreticorum opiniones, pietati nostræ contrarias, cognoscere: ne quem scrupulum subtilis artifex diabolus in animos nostros injiciat, qui nos nimium torqueat, etiam adducat in exitium.

132. Non attingendi autores spurci, ne quid sordium animo ex contagio adhæreat.

Corrumpunt bonos mores colloquutiones  
 123. malæ.

Reliqua eruditio munda est, & frugifera:  
 124. referatur modò ad suum scopum, virtutem, hoc  
 est, rectè agere,

Est divina eruditio à Deo tradita, in qua  
 125. sunt thesauri omnes scientiæ & sapientiæ recon-  
 diti: hæc est vera mentium lux, reliqua omnis ad  
 hanc collata, densissimæ sunt tenebræ, & ut res  
 hominum ludicra & puerilis.

Legitur tamen vel in hoc, quò tanquam ex  
 126. comparatione fulgentior appareat nostra lux.

Tum, ut testimoniis hominum adversus  
 127. eos utamur, qui divinis parùm acquiescunt, ut vi-  
 tiosi oculi averfantes Solis splendorem.

Ad nos quoque commonefaciendos, quum  
 128. in multis gentilium tanta præstantia fuerit virtu-  
 tis, quantam esse conveniat in homine Christia-  
 no, discipulo magistri Dei, cui ex luce pietatis,  
 quam profitetur, magna est imposita necessitas  
 benè vivendi.

Suppeditant quoque facundiam, & usum,  
 129. ac prudentiam vitæ communis, quis non nihil in-  
 terdum indigemus.

Tribus velut instrumentis fabricamur eru-  
 130. ditionem, ingenio, memoriâ, curâ.

141. Ingenium exercitatione acuitur.
142. Memoria excolendo augetur.
143. Utrumque enervant deliciae; bona valetudo confirmat: otia & diuturnae remissiones profligant, exercitamenta ad manum & in promptu ponunt.
144. Sive legis ipse quid, sive audis, attentus id fac: nec vagetur mens tua: sed coge illam ibi esse, & agere quod adest, non alia.
145. Si incipit digredi, parvo murmure eam revoca, cogitationes omnes ab studiis alienas, in aliud tempus differ.
146. Scito te operam & tempus perdere, si, quae legis vel audis, non attendas.
147. Quae ignoras, ne pudeat quaerere. Ne erubescas à quovis doceri, quod maximi viri non erubuerunt, erubescas potius ignorare, aut nolle discere.
148. Quae ignota tibi sunt, ne jactes te scire: sciscitare potius ab iis, quos scire credis.
149. Si videri vis doctus, da operam ut sis: nulla est compendiosior via, quemadmodum non alia ratione facilius consequeris, ut existimeris bonus, quam si sis talis.
150. Denique quicquid videri cupis, fac ut sis: aliter frustra cupis.

151. Falsa tempus infirmat; vera corroborat.
152. Nulla simulatio diuturna.
153. Magistrum semper sequere, noli præcurre-  
te, & illi crede, ne repugna.
154. Ama illum, & parentis loco habe: putaq;  
verissima & certissima esse, quæcunq; dicit.
155. Attende, ut, quod semel errasti, emendatus  
iterum aut tertio non idem pecces: labora, ut pro-  
ficiat emendatio.
156. Illorum decet te præcipuè meminisse, in  
quibus falsus es, ne te rursus decipiant.
157. Cujusvis hominis est errare; nullius, nisi  
insipientis, perseverare in errore.
158. Scito nullum esse sensum, per quem prom-  
ptius docemur, quam auditum.
159. Et nihil facilius, quam audire multa, & ni-  
hil utilius.
160. Nec malis levia, aut inepta, aut ridicula  
audire, quàm seria, gravia, prudentia.
161. Pari labore utraq; discuntur, quum sit adeò  
commodum dispar.
162. Ne labores quàm multa respondeas, sed  
quàm aptè, & in tempore.
163. Prandio tuo & cœnæ illos adhibe, qui te  
possint instituere, quiq; suavi ac docta colloquio-  
ne pariter & exhilarent te, & peritiozem reddant.

164. Scur-

164. Scurras, parasitos, imperitè loquaces aut spurcè, moriones, nugatores, bibaces, & id genus hominum, aptum ad risum movendum vel verbis vel factis, nec honore mensæ tuæ digneris: nec illi te, dum reficeris, oblectent: potius jucunda aliqua & ingeniosa confabulatio.

165. Non os modò à turpibus cohibe, sed etiam aures, tanquam fenestras animi: memor dicti veteris, quod citat Apostolus: Corrumunt mores probos confabulationes malæ.

166. Sive ad mensam, sive alio quovis loco, diligenter, quid quisq; dicat, ausculta.

167. Ex sapientibus disces, quo fias melior.

168. Ex stultis, quo fias cautior.

169. Quæ sapientes probarint, sequeris.

170. Quæ stulti laudarint, vituperabis.

171. Si quid videris à cordatis recipi, tamquam vel argutè, vel graviter, vel sapienter, vel docte, vel ingeniosè, vel urbanè dictum, retinebis, ut & ipse in occasione utaris.

172. Habebis librum chartaceum, in quo annotabis, si quid legeris, vel audieris dictum festivè, aut eleganter, aut prudenter: vel vocabulum aliquod exquisitum, rarum, utile sermoni quotidiano, ut, quum usus poscat, habeas paratum.

173. Annitere, ne sola verba intelligas, sed præcipuè sensa.

B 5

174. Quæ

174. Quæ legeris, vel audieris, fac aliis narres, tum tuis condiscipulis latinè, tum aliis lingua tibi vernacula: & conare, ne minus ipse vel lepidè, vel venustè referas, quàm audîris, aut legeris: sic & ingenium exercebis & linguam.
175. Est etiam tractandus & agitandus sæpenu-merò stilus, optimus dicendi magister.
176. Scribe, transcribe, rescribe crebrò atq; annota, compone alternis diebus, aut ad summum tertio, quoq; epistolam ad aliquem, qui tibi respondeat: & tuam ostende institutori emendandam. Mendarum, quas sustulerit, fac recordere, ne rursus ad easdem impingas.
177. Post cibum, velut à prandio & cœna, cesset studium, sumto prandio sede, confabulare, audi aliquid suave: aut sic lusita, ne nimium corpus exagites & concutias.
178. Post cœnam, quam volo esse modicam, deambulato cum jucundo aliquo & docto confabulatore, qui te sermone oblectet, cujus verba & sententias imitari cum decore possis.
179. Inter cœnam & quietem, vita omninò potum: nihil perniciosius simul corpori, memoriæ, ingenio. Quum urgebit te sitis, si biberis, pone inter potum & lectum, intervallum, quàm minimum, semihoræ.

180. Me-

180. Memoriam quiescere non sines.
181. Nihil est, quod æquè labore gaudeat & au-  
geatur.
182. Commenda ei quotidie aliquid.
183. Quo plura commendabis, hoc custodiet o-  
mnia fidelius: quò pauciora, hoc infidelius.
184. Quum aliquid ei credideris, sine eam quie-  
scere, & aliquanto post ab ea, velut depositum, re-  
posce.
185. Si quid vis ediscere, id de nocte quater aut  
quinquies attentissimus legito: hinc ito cubitum,  
de manè exigitò à memoria rationem ejus, quod  
pridiè credideris.
186. Cavendum à crapula, à cruditate, à frigore,  
potissimum cervicis.
187. Vinum memoriæ mors.
188. Optimum esset singulis noctibus, paulò an-  
tequam cubitum concederes, in cella te sine ar-  
bitris sedentem, quæcunq; die illo vidisses, legis-  
ses, audisses, egisses, in memoriam revocare.
189. Si quid fecisses honestè, moderatè, prudent-  
ter, cordatè, cum decore & laude, gauderes: sci-  
resq; id esse Dei munus, & similia pergeres facere.
190. Si quid turpiter, immodeste, flagitiosè, pueri-  
liter, ineptè, vituperio dignum, scires ex tua mali-  
tia profectum: doleres & vitares in posterum.

191. Si-

191. Si quid vel audisses, vel legisses elegans, doctum, grave, sanctum, retineres.

192. Si quid vidisses probatum, imitarere: si quid improbatum, fugeres.

193. Nulla tibi abeat dies, in qua non vel legeris, vel audieris, vel scripseris aliquid, quod seu eruditionem, seu judicium seu virtutem augeat.

194. Cubitum iturus lege, vel audi aliquid dignum, quod memoriae mandetur, & de quo salubre ac jucundum sit per quietem somniare: ut etiam nocturnis visis discas, & fias melior.

195. Studio sapientiae nullus in vita terminus statuendus est, cum vita est finiendum. Semper illa tria sunt homini, quamdiu vivit, meditanda: quomodo bene sapiat, quomodo bene dicat, quomodo bene agat.

196. Ab studiis arrogantia omnis arcenda est. Nam ea, quae vel doctissimus mortalium novit, non sunt minutissimum eorum quae ignorat; exiguum quiddam, & obscurum, & incertum est, quicquid homines sciunt, mentesque nostrae in hoc corporeo carcere devinctae, magna ignoratione & altissimis tenebris premuntur: aciemque adeo retusam habemus, ut nec summas penetremus rerum facies.

197. Tum profectui studiorum plurimum nocet ar-



cet arrogantia. Multi enim potuissent ad sapientiam pervenire, ni jam putassent se pervenisse?

198. Vitanda etiam contentio, æmulatio, obtrectatio, inanis gloriæ cupido: quum in hoc sequamur studia, ut illa fugiamus.

199. Nihil excogitari potest jucundius cognitione multarum rerum: nihil intelligentiâ virtutis fructuosius.

200. Studia res lætas condiunt, tristes leniunt, temerarios impetus juventæ cohibent, senectutis molestant tarditatem levant: domi, foris, in publico, in privato, in solitudine, in frequentia, in ocio, in negotio comitantur, adsunt, imò præsunt, opitulantur, juvant.

201. Eruditio pastus ingenii verissimus: ut indignum sit, pasci corpus esuriente animo: ex qua voluptates, & oblectamenta, & solida, & perpetua: quæ alia ex aliis nascentia, & se renovantia, nunquam nos deserunt, nec lassant.



## DE VIRTUTE.

202. **P**ræstantissima illa rerum univrsarum virtus, neq; dono ab hominibus datur, neq; accipitur; divinitus contingit.

203. Id-

203. Idcirco à Deo suppliciter, ac piè petenda est.



## DE AFFECTIBUS.

204. **S**ummum in literis omnibus atq; eruditione est ea Philosophia, quæ ingentibus animi morbis remedium adfert.

205. Magna cura adhibetur curando corpori; major adhibenda est animo; quò hujus morbi & occultiores, & graviores, & periculosiores sunt.

206. Hi non injuriâ tempestates, cruciatus, tormenta, flagra, faces, furix animi humani nuncupantur; maximam enim adferunt calamitatem, & indicibiles dolores, si regnent, si agitentur: incredendam tranquillitatem & beatitudinem, si sedentur, & cohibeantur.

207. Huc tendunt, quæcunq; à maximis ingeniis de vita moribusq; acutissimè sunt excogitata, atq; perscripta.

208. Hoc est ingens præmium literati laboris, ejus verissimus fructus est, ut non in admirationem, aut ostentationem vanam sit nobis magna illa

illa rerum supellex collecta: sed ut transeat in usum vitæ, & primùm omnium pro sit possidenti: nec in ejus mente sit tamquam in pyxidicula, unde petitur res alios iuvatura, ipsi vasculo inutilis.

**209.** Nec aliud conatur pietas Christiana, quàm ut serenitas humanos animos exhilaret, & tranquillitate animorum, compositisq; affectionibus, simus Deo & angelis quàm simillimi.

**210.** Remedia his morbis, vel ex rebus ac nobis ipsis, vel ex Deo, vel ex CHRISTI lege ac vita petuntur.

**211.** Natura rerum est, ut incerta, & fluxa, & momentanea, & vicissitudinaria, & vilia sint omnia, præter animum: qui est unusquisq;, aut certè potissima ejus pars: reliqua ab aliis ad alios transferuntur, ne quis extra animum quicquam possit suum dicere.

**212.** Quæ habet, non donata esse putet, sed accommodata.

**213.** Quocirca ingentis dementiæ est, grave aliquod crimen, & magna luendum pœna, ob res minutas suscipere.

**214.** Nec se quisquam efferat, quod aliquid de externis aut corporeis contigerit: quum id omne breve futurum sit, ac incertum, nec proprium, sed alienum: quod ut concessum est, sic etiam repositur, ad summum in morte; sæpe in vita ipsa.

**Nec**

215. Nec dolendum, si, quod accommodatum ac velut depositum est, reperatur: quin potius agenda gratia, quod tantisper uti licuit.

216. Intoleranda ingratitudinis est, si, quum sis aliquando affectus beneficio, injuriam te credas accipere, quod id non sit perpetuum: nec quid habueris spectes, aut quamdiu; sed quid, aut quamdiu non habueris.

217. Nec latandum, quod fortuita tibi accesserunt, aut amicis; adempta sunt inimicis: quum in omnibus tanta sit celeritas, & ambiguitas, ut plerumq; inani latitiae proximus sit acerbus fletus.

218. Nec despondendus animus, aut contrahendus, reflante fortuna: quippe adversis matutinis interdum succedunt prospera vespertina.

219. Jam quæ conditio corporum, quæ ratio vitæ, fictis ex tam vili initio, tam fragili, quum sit anceps vita, septa tot undiq; periculis? & ut sit aliquantisper certa, utiq; non est diu duratura, quid habemus, cur in tanta infirmitate ferociamus?

220. Quumq; nihil sit aliud hæc vita, quam peregrinatio, quâ in alteram sempiternam tendimus, paucissimisq; rebus ad hoc iter conficiendum egeamus;

221. Quid est, quam ob rem his, quæ huc atq; illuc volvi & jactari cernimus, sollicitemur, aut omninò moveamur?

222. Cu-

**222.** Cupiditati quare serviendum est, quum sint futura incertissima, & præsentia paucis contenta?

**223.** Liber ille, qui cupit solùm, quæ sunt in ipsius manu: servus, qui contrà.

**224.** Jam fortunæ muneribus expleri, quid aliud est, quàm peditè multis sarcinis impediri, ac obrui?

**225.** Nemo est tam stupidè amens, qui non se illi civitati, ad quam tendit, & ubi morari destinat, potiùs quàm itineri adornet, componatq;

**226.** Vita hæc nostra, quum sit naturâ suâ fugax, & arcta, maxima ejus pars ac ferè tota perturbatio- nibus perit. Neq; enim vivimus, quamdiu affe- ctibus concutimur, & in primis mortis metu.

**227.** Quæ quum ex infinitis causis immineat, & appropinquet, expavenda non est ex una & altera: quum necessariò perventura, fugienda non est per scelus, aut mœrendum quòd accedat.

**228.** Quum sit vita innumeris tædiis ac miseriis referta, cur est tam arctè retinenda? quum ad alte- ram æternam proficiscamur, ita nos compare- mus, ut rectà ad illam evolemus, plenissimam bo- norum omnium.

**229.** Ergo premimur sæpius nostris erroribus, quàm rebus ipsis: quum magna mala, aut bona censemus, quæ non sunt.

C

830. Na-

230. Natura & conditio, & vera rerum precia illa sunt, quæ initio posui, quo apparet, nihil præter virtutem pulchrum aut magnum esse, aut etiam nostrum.

231. Nos verò in consilium mentis amorem corporis, & cupidinem rerum vitæ hujus accersimus, quæ à multis vocari solent **Amor nostri**.

232. Hinc animos viriles enervat, ut nulla res tam minuta sit, quæ in eos non penetret: nec ulla tam exilis aut tenuis, quin eos concutiat.

233. Hic tenebræ oboriuntur oculo mentis, & ubi regnum affectus occupavere, jam illis tamquam dominis blandimur, indulgemus, paremus.

234. Ita aliena mordicus tamquam nostra apprehendimus: & si detrahantur, lamentamur, & afflictamur nosipfos.

235. Et nostra tamquam aliena negligimus: & averfamur profutura, ceu in primis noxia: & nocitura amplectimur pro utilibus.

236. Aliena mala nobis videntur levissima; nostra, illis non majora, intolerabilia: & semper queruli nec aliena desideria ferimus, nec nostra.

237. Nec jam nobis placemus ipsi, nec hic mundus cum sua lege nobis satisfacit, immutatas vellemus rerum naturas: tanta est ex delitiis impatientia.

238. Quæ

- 238.** Quæ cruces possunt cum his comparari: nec sunt alia apud vita functos tormenta.
- 239.** Nec dæmones aliis suppliciis sunt miserrimi, quàm superbiâ, invidiâ, odio, irâ.
- 240.** Cernere est vultus eorum, qui his affectibus tenentur, quàm varii sunt, quàm anxii, anhelitrices, horridi: ad eundem modum & animi sunt affecti.
- 241.** Ira perturbationum omnium atrocissima, maximè hominem dedecet.
- 242.** Naturam hominis in truculentam mutat feram.
- 243.** Et quum quævis perturbatio mentis aciem & iudicium omne obscuret, tum ira tenebras densissimas offundit, ut nec verum, nec utile, nec decorum possit cernere.
- 244.** Arrodit cor, & valetudinem affligit:
- 245.** Id cogit facere, quod ilico pœnitentia consequatur.
- 246.** Jam in facie quàm turpis mutatio? quæ tempestas? oculorum ardor? dentium stridor? despumatio? & totius oris pallor? foeda in lingua titubatio & clamor?
- 247.** Ut ille, qui iratum se ad speculum vidit, non sine causa dicatur se non agnovisse.
- 248.** Ob hanc torvitatem vultus, atrocitatem di-

etorum, crudelitatem factorum, adimitur viro omnis autoritas, omnis benevolentia, diffugiunt amici, recedunt obvii, solitudo undiq;, omnes oderunt, omnes detestantur.

**249.** Quo fit, ut maximi viri nihil vel caverint magis, vel texerint, quam iram, & irati opera: ad eò ut naturæ etiam suæ repugnarint, ac vim attulerint.

**250.** Quid enim ridiculum magis, quam tantulum, tam imbecillum animalculum sic ferocire, ac furere?

**251.** Et tantas tragædias, tam atroces, de vilissimis rebus excitare, ut de corporeis, de fortuitis: etiam, si diis placet, de uno verbulo?

**252.** Iram facile domabis, si illud animo perceptum & fixum tenueris.

**253.** Injuriam non fieri, nisi lædatur animus: cui à nemine noceri potest, nisi à possidente, introducto in eum vitio.

**254.** Hæc ad hominem, ex homine: nunc altius, nempe ex Deo, etiamsi & illa quoq; ex Deo: sed hæc aliquantò expressiùs ac propiùs.



## DE RELIGIONE.

**255.** **N**ihil potuit hominum generi dari majus,





lia, stirpes, lapides, cœlos, & elementa, cuncta deniq; curæ esse ac parere existimandum.

**265.** Nihil fieri, nihil moveri, nihil contingere, ac ne stipulam quidem attolli ullam, aut floccum volitare, extra illius præscripta & jussa.

**266.** Hanc esse universi legem, non alium esse in rebus casum, non fortunam, aut sortem.

**267.** Omnia ab eo fieri cum summa æquitate, & sapientia: tametsi viis nobis ignoratis.

**268.** Quæcunq; cuivis contingunt, ad ejus referri commoda, si sit bonus: non ad ista pecuniolæ, aut mundi hujus momentanei, sed illius æternæ salutis.

**269.** Ergo quæcunq; in hoc mundo accidunt, tanquam ab autore Deo profecta, æquis animis accipienda atq; approbanda sunt: ne affectu nostro, & tamquam judicio, consilium damnare videamur, & improbare voluntatem justissimi illius & sapientissimi rectoris omnium Dei, quia non assequimur.

**270.** Ei nos obsequi ac subditos præbere, laudare, atq; approbare cuncta quæ facit, fas piumq; est.

**271.** Nos pueri, & meliorum rerum inscii, quæ damnosissima sunt, deflemus non dari, tamquam utilissima: quæ utilissima, horremus, tamquam adversissima.

**271.** Ut

**272.** Ut nihil sit nobis sæpe numero pestilentius, quàm fieri votorum nostrorum compotes.

**273.** Quumq; in tantis tenebris ignorationis versemur, sic Deo visum est, ut nobis sola sit præstanda culpa; cætera omnia illius curæ remittantur:

**274.** Nobis, velimus nolimus, exsequendum est, quod de nobis statuit ac jubet rector hujus tanti operis. Quorsum igitur spectat, malle cum lachrymis detrectantes reluctantes trahi, quàm hilariter & ultrò duci?

**275.** Certè amicus omnis Dei, legibus & voluntati amici obtemperabit.

**276.** Hæc potissima ratio est Dei amandi, sicut CHRISTVS inquit: Vos amici mei eritis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.

**277.** Pacificator humani generis cum Deo, & autor salutis nostræ, est **JESUS CHRISTVS**, homo Deus, Dei omnipotentis filius unigenitus: quem ad hoc ipsum pater misit, quum ei visum est misereri generis humani, quod maximo suo malo inimicum se fecerat Deo.

**278.** Nullum excogitari potest malum pestilentius, aut exitiabilius, quàm per peccatum à Deo separari, perenni bonorum omnium fonte: ad perniciosissimam converti miseriam, & à dulcissima vita in acerbissimam mortem.

**279.** In hoc inter cætera **CHRISTVS** venit, ut rectissimam viam nos edoceret, quâ insisteremus proficiscentes ad Deum, nec ab ea vel pilum deflecteremus.

**280.** Hanc ipse & verbis indicavit ac patefecit, & exemplo vitæ suæ munivit expeditissimam atq; certissimam.

**281.** Humana omnis sapientia, si cum religione Christiana conferatur, cœnum est, & mera stultitia.

**282.** Quicquid grave, prudens, sapiens, purum, sanctum, religiosum: quicquid cum admiratione, exclamatione, plausu apud gentiles sapientes legitur: quicquid ex illis commendatur, ediscitur, in cœlum tollitur; id totum purius, rectius, apertius, expeditius invenitur in pietate nostra.

**283.** Hanc nosse, perfecta est sapientia: juxta hanc vivere, perfecta virtus, sed nemo verè novit, qui non sic vivat.

**284.** Vita **CHRISTI** testatur humanam ejus probitatem; miracula, omnipotentiam divinitatis; lex, cœlestem sapientiam.

**285.** Ut ex probitate accedat exemplum ad imitandum: ex autoritate vis ad obediendum; ex sapientia fides ad credendum.

**285.** Probitas amorem eliciat, majestas cultum, sapientia fidem.

**287.** Si

287. Si quis, quæ **CHRISTUS** præcipit, expendat, comperiet, omnia ad nostras utilitates referri: ut nemo nisi maximo suo bono sentiat se credere.

288. Ut nihil est homini gratius, quàm fidi sibi, ita nec Deo: nec quisquam bene de illo cogitat, cui timidè seipsum credit.

289. Fundamentum salutis est, credere Deum esse patrem, & hujus filium unicum **JESUM CHRIS-  
TUM** legislatorem nostrum: & ex utroq; spirare sanctum illum afflatum: sine quo nihil agimus, nihil cogitamus excelsum, aut profuturum nobis.

290. Verus Dei cultus est, animum morbis & pravis affectibus perpurgare, & in illius, quàm proxime possumus, transformari simulachrum: ut puri & sancti simus, sicut & ipse est: neminem oderimus, omnibus prodesse studeamus.

291. Quo magis te à corporalibus ad incorporea transtuleris, hoc vitam diviniorem vives.

292. Ita fiet, ut Deus cognatam & similem sibi naturam agnoscat, eaq; delectetur: ac velut in vero & germano templo habitet, multo sibi acceptiore, quàm ista sunt lapidum & metallorum.

293. Templum Dei sanctum est, inquit Paulus, quod estis vos.

294. Tantus hospes conservandus est: nec tetro peccatorum foetore expellendus.

C 5

295. Cor

**295.** Corporalia opera fatua sunt ante Deum, nisi conditura ex animo addatur.

**296.** In occultissimis recessibus, & procul ab omnium oculis, atq; adeò in corde ipso, atq; in animo tuo, scito te habere Deum arbitrum, testem, judicem omnium, etiam cogitationum tuarum: ut illius præsentiam reveritus, nihil non modò facias, sed nec in animum admittas nefarium aut turpe.

**297.** Charitas erga Deum hæc esse debet, ut illum cæteris rebus universis anteponas, honoremq; & gloriam illius chariorem habeas cunctis vitæ hujus honoribus & commodis.

**298.** Et quemadmodum amicus, quum amici memoria occurrit, benevola quadam afficitur & pia lætitia: sic curare te decet, ut divina omnia amicissima tibi sint, & proinde gratissima, verferisq; in illis multo libentissimè.

**299.** Quoties nominari audis Deum, majus quiddam & admirabilius occurrat, quàm quod possit humana mens capere.

**300.** Quæ de illo & divinis dicuntur, audi non quomodo humana, sed cum magna animi admiratione.

**301.** De Deo ne quid temere censeas, aut de illius factis pronuncies aliter, quàm venerabundus & timidè.

**302.** Im-

**302.** Impium, in res sacras jöcari, aut dicta sanctarum scripturarum ad lusus, ineptias, aniles fabulas, scommata convertere: ceu quis medicinæ ad salutem paratæ, cœnum aspergat, ad obscœnitatem autem trahere, id verò nefarium & intolerabile.

**303.** Omnia decet illic esse admiranda, & cum ingenti dignatione in animos recipienda.

**304.** Sacris intersis attentè ac piè, non ignarus, quæcunq; ibi seu vides, seu audis, esse purissima & sacrosancta, spectareq; ad immensam illam Dei majestatem: quam adorare facile est, comprehendere impossibile.

**305.** Ita ut indivina illa sapientia altiora semper existimes latere, quàm quò possit vis ulla humani ingenii pertingere.

**306.** Dicta sapientum hominum etiã non intellecta veneramur, quantò id æquius est divinis deferri?

**307.** Quoties nominari audis **JESVM CHRISTVM**, toties veniat tibi in mentem charitas illius in nos inæstimabilis, & recordatio illius sit tibi dulcedinis & venerationis plena.

**308.** Quum titulum aliquem, aut epitheton **CHRISTI** audis, extolle te in ejus contemplationem, & ora, ut talem se præbeat erga te, velut  
quum

quum clementem, mitem, placidum; ut talem illum experiare: quum omnipotentem, ut id ostendat in te, ex pessimo reddens optimum, ex hoste filium, ex nihilo aliquid: quum terribilem, ut eos, à quibus terrere, terreat.

**309.** Quum Dominum vocas, fac illi servias: quum Patrem, fac ames, & te dignum præstes tanto patre filium.

**310.** Nulla res est in toto universo, cujus si vel originem, vel naturam, viresq; intuearis, non supeditet, quo autorem omnium Deum admireris, & adores.

**311.** Nihil exordire, non invocato prius numine. Deus enim, in cujus manu sunt progressus & exitus, optatos eos tribuit iis actibus, quos ab ipso auspicamur.

**312.** Quicquid aggressurus es, finem spectato: & ubi tu rectum consilium præstiteris, de eventu ne sis sollicitus.

**313.** Illi fide, in cujus potestate sunt rerum eventus.

**314.** Quandoquidem religio omnis sita est in intimis pectoris, preces, da operam, ut intelligas: & cave ne ore tantum permurmures. Sed, quum oras, totus & animo, & mente, & cogitatione, & vultu in hoc sis, ut omnia secum consentiant, & excellentissimæ respondeant actioni. **315.** Ex



**315.** Execrantur illum cœlestia oracula, qui opus Dei facit negligenter.

**316.** Si in citharœdo turpe est, aliud ipsum ore, aliud fides ejus sonare: multò est turpius, quum Deo psallimus, aliud linguam dicere, aliud animum cogitare.

**317.** Vota nostra sobria sint, & digna quæ à Deo petantur, & quæ Deus det: ne stulta illum, aut inepta offendant.

**318.** Sumpturus cibum, recordare omnipotentia Dei, qui cuncta ex nihilo condidit: sapientia ac benignitatis, qui ea sustinet: mansuetudinis & clementia, qui etiam inimicos suos pascit.

**319.** Expende quantum illud sit, tot vitis universitatis mundi hujus, tam variam quotidie alimoniam sufficere, conservare omnia, & vindicare ab interitu, quò nutu suo tendunt.

**320.** Nullam neq; hominum, neq; angelorum sapientiam non modò hoc non posse præstare, sed nec intelligere.

**321.** Itaq; quum scias te de illius bonis vivere, cogita quàm execranda sit ingratitude, quàm perdita temeritatis, audere te cum illo inimicitias exercere, cujus beneficio, & voluntate consistis, non ampliùs, si nolit, futurus.

**322.** Ad

**322.** Ad mensam sint casta omnia, pura, cordata, sancta: qualis ille est, inter cujus munera tunc versaris.

**323.** Omnis detractatio, virulentia, atrocitas, crudelitas à mensa arceatur, in qua tu sentis incredibilem Dei erga te suavitatem & clementiam.

**324.** Quò intolerabilius est, eum te locum asperitate aut odio in fratrem contaminare, ubi tu benignam & largam in te lenitatem percipis.

**325.** Quod nec gentiles ignorarunt, qui eam ob causam mensæ sacra nominabant læta & festa: ad quam triste aliquid aut atrox dici fierive nefas erat.

**326.** Quumq; sis omnipotenti, sapientissimo largissimo Deo curæ, tu immodicam sustentandi tui curam depone, tanquam bonitati illius diffusus, unicam curam suscipe, quomodo illi placeas, ac satisfacias.

**327.** Stultissimum est, alimenti causa pravum ullum facinus admittere: & illum offendere, à quo solo alimenta veniunt: ut eum tibi iratum facias, à quo aliquid contendis impetrare.

**328.** Præsertim quum alimentis non conserveatur vita, sed voluntate Dei. Quemadmodum divinis oraculis declaratum est: Non pane hominem vivere, sed verbo Dei.

**329.** Ha-

329. Habemus syngrapham **JESV**, universorum in cœlo & in terra domini: nihil eorum, quæ opus sunt homini, defuturum iis, qui quæsierint regnum Dei, & justitiam ejus.

330. Tum ex Dei donis, quæ ipse arbitrio suo & largitur, & tollit, quum is in te tam benignus fuerit, tu in fratrem tuum, illius filium, malignus ne esto: reputans nos ex æquo esse Dei filios: nec Deum plus tibi debere, quàm illi: tantum voluisse te dispensatorem & administratorem esse, & à quo secundum Deum frater tuus peteret.

331. Nihil verius datur **CHRISTO**, quàm quod egenis datur.

332. Sumto cibo, considera cujus sit sapientia, cujus potentia, vitam nostram iis rebus, quas edisti, sustentare, & ruentem fulcire.

333. Itaq; habeas Deo gratiam, non quantam haberes illi, qui tibi pecunia sua cibarium emisit: sed quanta habenda est ei, qui te & cibum ipsum condidit, & cibum propter te: & cibo te sustentat, non vi illius, sed sua.

334. Quum petis quietem, & quum surgis, reminiscere beneficiorum Dei, non in te solùm, sed in totum genus hominum, atq; adeò mundum universum.

335. Cogito

**335.** Cogita quantæ sint hostis hominum per  
licentiam quietis insidiæ, dum homo velut cada-  
ver jacet, impos sui: quo instantius orandus est  
**CHRISTVS**, ut nos tam imbecillos tueatur.

**336.** Nec ullo vestro peccato irritandus est custos  
& præses noster.

**337.** Et frons & pectus crucis nota exterius mu-  
niendum: interius verò, piis precibus & sanctis  
meditationibus.

**338.** Ubi jam lectum ingrederis, fac cogites, u-  
numquemq; diem imaginem esse humanæ vitæ:  
cui succedit nox, & somnus, simulachrum mortis  
expressissimum.

**339.** Itaq; rogandus est **CHRISTVS**, ut in vita &  
in morte adsit semper propitius ac favens, illamq;  
ipsam noctem præbeat nobis placidam atq; tran-  
quillam.

**340.** Nêve in somniis terreamur: semperq;  
etiam sopitis, ille menti nostræ obversetur: illius  
solatiis recreati ad matutinum tempus sospites &  
læti perveniamus, cum pia memoria sanctissimæ  
mortis ipsius, precii, quo genus humanum re-  
demptum est.

**341.** Cubile servabis castum mundumq; ne jus  
ullum in id inveniat auctor ille & caput totius  
spurcitiei.

**342.** Si-

**342.** Signo crucis, & invocatione divini numinis, sed imprimis sanctis cogitationibus, & statuto custodiendæ pietatis, omnem ab eo Diaboli ditionem pelles.

**343.** De manè surgens commenda te **CHRISTO:** Cui & age gratias, quòd illius ope ac præsidio non es illa ipsa nocte oppressus, dolis & invidiâ immanis hostis.

**344.** Et quemadmodum de nocte dormiisti, postea evigilasti: sic nostra corpora recordare dormitura per mortem, hinc reddenda vitæ à **CHRISTO,** quum apparebit iudex vivorum & mortuorum.

**345.** Quem supplex obtestare, ut sequentem diem velit ac faciat te in obsequio suo totum consumere, ne quem lædas, neu à quo lædatur tua probitas: sed septus undique ac munitus pietate Christiana, sospes & integer tot evadas retia, tot pedicæ, quot per vias omnes & aditus humanos sparsit tetenditq; insidiosus Diabolus.

**346. 347. 348.**

**349.** Quumq; inter homines tanta sit cognatio similitudinis in corpore, & toto animo, simusq; omnes pari jure in mundum inveci, ad societatem & vitæ communionem facti; ad hanc conservandam lex est à natura proclamata, **NE QUIS ALTERI FACERIT, QUOD SIBI FACTUM NOLIT.**

D

**350.** Hoc

**350.** Hoc unum instaurator ille naturæ collapsæ, suum esse dogma professus est, sed explicatum & illustratum.

**351.** Nam ut humanam naturam ad similitudinem Dei, quoad ejus fieri potest, sublatam suis omnibus numeris consummaret, non modò mutuum amorem imperavit, sed eorum quoq; qui nos oderunt.

**352.** Ut simus cœlestis patris similes, qui suos quoq; inimicos amat: quod declarat, beneficiis illos prosequendo, & quidem maximis; neminem odit.

**353.** Quid, quod hominum ingenium ita fert, ut benevolos in se illos velint, etiam in quos ipsi sunt malevoli.



## DE CHARITATE.

**354.** Sapientissimus vitæ nostræ magister, nempe & autor, unicum dedit ad vivendum documentum, ut amemus: gnarus vitam nostram, si amemus, fore felicissimam, nec aliis opus esse legibus.

**355.** Nihil

**355.** Nihil felicius, quàm amare: idcirco Deus & angeli felicissimi, quia amant omnia.

**356.** Infelicius nihil, quàm non amare, quo affectu miserrimi sunt Diaboli.

**357.** Verus amor omnia exæquat. Ubi is viget, nemo alteri quærit præferri, nemo à dilecto rapere, cum apud se esse sentiat, quæ apud illum.

**358.** Non litem movere fratri charo: ac neq; se unquam injuria putat ab illo affici: ideo nec ultionem meditatur. Nemo invidet ei, quem amat, nec quisquam malis amici gaudet, nec bonis dolet: contra, potiùs gaudet cum gaudentibus (juxta dictum Apostoli) flet cum flentibus: idq; non fictè aut simulatè, sed ex animo: quoniam amor omnia reddit communia, suaq; esse existimat, quæ sunt ejus, quem amat.

**359.** Documenti hujus solidum & verissimum exemplar oculis nostris ad imitationem propositum, sunt Christi actiones.

**360.** Venit enim filius Dei, non ut verbis modo, sed exemplo vitæ suæ rectam nos doceret vivendi rationem: ut illustratis sole illo suo animis nostris, apertè, qualis quæq; res esset, cerneremus.

**361.** Primùm exercitus per omne genus patientiæ, quantam ostendit animi moderationem, in quanta potentia! impetitus tot, tamq; gravibus

contumeliis, nemini remaledixit, tantum docuit  
viam Dei, adversam detestatus: vinciri se est passus,  
qui mundum evertere vel unico poterat nutu.

**362.** Calumniam quam patienter tulit!

**363.** Deniq; sic gessit sese, ut nemo in eo poten-  
tiam noverit, nisi ad juvandum.

**364** Rex & Dominus universorum, per quem  
fecit pater hunc mundum, quam æquè tulit æquari  
se infimis mortalium! & propriam sibi domum,  
& charis suis ministris deesse alimenta!

**365.** Conditor rectorq; naturæ, malorum na-  
turæ nostræ expers non fuit: esuriit, sitiit, delas-  
satus fuit & mœstus; quorsum hæc, nisi ad exem-  
plum nostrum?

**366.** Tam amicus pacis, concordiæ, charitatis,  
ut nullum vitium magis sit insectatus, quam super-  
biam, & quæ illinc oriuntur, arrogantiam, ambi-  
tionem, contentionem, dissidia, simultates.

**367** Ostendens nihil esse, cur quis vel ab ex-  
ternis sibi quicquam arroget, vel à corporeis,  
quum sint adventitia, & aliena:

**368.** Nec ab internis & virtute, quum à Deo  
dentur, & ob hoc ipsum tollantur, quod quis ejus-  
modi muneribus sese efferat, nec fontem atq; ori-  
ginem agnoscat: despiciens eos, ad quorum utili-  
tatem hæc à Deo accepit.

**369.** Et



**369.** Et ad superbiam infringendam, ne quis tamquam ritè subditus religioni, & servator legis Evangelicæ sibi placeat, audivimus ab eo, quum omnia, quæ vobis præcepi, feceritis, dicite, servi inutiles sumus.

**370.** Quanta stultitia est eorum, qui se exactè Christianos gloriantur, & aliis in observanda lege sese anteponunt!

**371.** Quum nemo de se norit, an virtutem habeat: utrùm odio Dei, an gratiâ dignus sit: an ille, cui se se præfert, virtute sit locupletior: an ascitus & destinatus in consortium cœlestium, quum sit ipse miseris sempiternis assignatus.

**372.** Idcirco judicium omne de homine homini ademit, cæco & ignaro recessuum cordis: ad se transtulit, scrutatorem pectoris humani.

**373.** Exteriora enim, quæ sola oculus hominis intuetur, infirma & incerta sunt interiorum signa.

**374.** Non ergò uno congressu, quod nonnulli faciunt temerarii, non centum, non longissimo convictu de ingenio, vitiis aut virtutibus cujusquam sententiam in totum feras.

**375.** Longissimæ & obscurissimæ sunt in humano corde latebræ. quæ humana acies in tantam caliginem penetrabit?

D 3

376. Et

**376.** Et quum **CHRISTVS**, universum genus hominum morte sua sibi asseruerit, tantoq; precio de servitute diaboli redemerit, nemo ausit contemnere, nemo ludere animam: quam ita Dominus amavit, ut nihil cunctatus sit vitam suam pro illa effundere.

**377.** Pro universis crucifixus est Dominus, & pro singulis.

**378.** Nec speres fore **CHRISTO** rem gratam, si tu oderis, quem ille amat.

**379.** Hanc vult sibi referri gratiam, ut quemadmodum ipse dominus nos servos nequam & pessimè meritos amavit, ita & nos conservos nostros.

**380.** Hic inchoavit mutuam hominum inter se & cum Deo charitatem, hoc est, humanæ beatitudinis jecit fundamenta, in Cœlo absolvit.

**381.** Hæc est vita & gratia **CHRISTI**, sapientiâ humanum ingenium excedens, æquitate intelligentibus congruens, bonitate cunctos alliciens.

**382.** Nemo se Christianum esse putet, nemo se Deo esse charum confidat, si quem odit: quum **CHRISTVS** nobis homines omnes commendavit.

**383.** Hominem tibi à Deo commendatum, si dignus est, ama, quia dignus est, quem ames: si indignus, ama, quia Deus dignus, cui pareas.

**384.** Non

**384.** Non jejunia, non erogatae opes omnes in pauperum usum, hominem Deo gratiosum reddunt. sola hoc praestat hominum charitas: hoc nos Apostolus ejus docuit.

**385.** Nullum videbis hominem, quem non existimes debere tibi esse fratris germani loco, ut ejus rebus prosperis gaudeas, adversis doleas, juvesq; quantum erit opis tuae.

**386.** Non natio affectum hunc minuat, non civitas, non cognatio, non profesio, non conditio, non ingenium, unus est omnium pater Deus: quem tu, edoctus à **CHRISTO**, quotidie patrem compellas, qui te filium agnoscit, si tu ejus filios fratres agnoveris.

**387.** Ne sit tibi turpe fratrem illum habere, quem Deus non dedignatur filium.

**388.** Pacem & concordiam, & amorem invexit Deus.

**389.** Partes, & factiones, & privatas utilitates cum alienis damnis, sicut etiam dissidia, rixas, contentiones, bella, diabolus peritissimus horum artifex.

**390.** Deus, quia vult nos salvos, spargit benevolentiam: diabolus, quia perditos, inimicitias.

**391.** Concordia etiam pusilla coalescunt: discordia maxima dissipantur.

D 4

**392.** Qui

**392.** Qui pacem, qui concordiam student inter homines vel conciliare, vel conservare factam tectam, ii filii Dei vocabuntur, teste **CHRISTO**, hi verè sunt pacifici, de quibus ipse loquitur: qui verò discordias serere, charitatem hominum inter se rescindere, ii filii diaboli.

**393.** Summum inimicitiarum, quo belluarum feritatem omnium homo superat, bellum, scito rem esse non hominum, sed, quod verbum ipsum loquitur, belluarum.

**394.** Quam detestatur natura, quæ hominem inermem genuit, ad mansuetudinem & communionem vitæ: averfatur Deus, qui penitus vult & imperat mutuam inter homines omnes charitatem.

**395.** Nec quisquam homo homini vel bellum facere, vel nocere potest, sine scelere.

**396.** Si quem arbitreris iniquo aut infenso esse in te animo, nullum laborem aut operam refugias, dum illum quacunq; ratione lenias & places tibi.

**397.** Neq; in ea re vel precibus, vel obsequio, vel fortunis parcas, modò tibi gratiam omnium pares, celerem viam ad gratiam Dei.

**398.** Neminem irriferis: cogitans, quod unì alicui accidit, posse cuivis accidere: age potius Deo gratias, quòd te extra eam sortem posuerit: & ora,  
tum

tum tibi ne quid tale accidat; tum illi sic afflicto  
saltem remedium aliquod, vel æquum animum :  
& ipse subveni, si potes.

**399.** Crudelis animi est, alienis malis gaudere,  
& non miserari communem naturam.

**400.** Esto hominibus misericors, & consequere à Deo misericordiam.

**401.** Fortuna & casus humani sunt omnibus  
communes: unicuiq; minantur, unicuiq; im-  
pendent.

**402.** Hoc amore hominibus debito, nihil exi-  
stimato posse te facere aptius, & congruentius,  
quàm si maximum bonum, hoc est, virtutem eis  
procuraveris: si studueris, ut omnes, si potes,  
utiq; quam plurimos reddas bonos.

**403.** Nihil magis amori dissonum, nihil da-  
mnosius aut deterius feceris, quàm si quos malos  
reddideris, vel suasis, vel exemplo, vel ullo alio  
incitamento.

**404.** Primum omnium & felicissimum est, si  
ames etiam odiosus: sed jucundissimum quoq;  
est, & maximè tutum amari.

**405.** Nullæ certiores opes, quàm certæ amicitia.

**406.** Nullum potentius satellitium, quàm ami-  
ci fideles.

**407.** Solem è mundo tollit, qui è vita amicitiam.

D 5

**408.** Sed

**408.** Sed vera, & solida, & duratura amicitia tantummodo est inter bonos, inter quos facile amor coalescit.

**409.** Mali nec inter se amici sunt, nec cum bonis.

**410.** Ut ameris, certissima est & brevissima per amorem via: nihil enim sic amorem elicit, ut amor.

**411.** Conciliatur quoq; virtute, quæ naturâ suâ amabilis est, ut vel ignotissimos ad se amandam invitet & trahat.

**412.** Tum etiam virtutis signis, mansuetudine, modestia, pudore, humanitate, comitate, affabilitate: si nihil vel dixeris, vel feceris, quod arrogantiam, aut insolentiam, aut petulantiam, aut obscœnitatem respiciat: omnia sint dulcia, mitia, lenia & pura.

**413.** Amicitia venenum, si amas tamquam osurus, & amicum sic habeas, ut putes posse inimicum fieri.

**414.** Salutare illud: odi tamquam amaturus.

**415.** In amicitia nulla sit inimicitia cogitatio: quem habes amicum, ne credas futurum unquam inimicum: alioqui infirma & fragilis erit amicitia.

**416.** In qua decet inesse fidem, constantiam, simplicitatem: ut de amico nec ipse suspiceris,

nec

nec suspicantibus aut deferentibus aurem accom-  
modes.

**417.** Vita non est vita suspicacibus aut timidis,  
sed assidua mors.

**418.** Ne in alienas vitas inquiras, neve curiosus  
scruteris, quid quisq; agat; multæ hinc suborion-  
tur simultates.

**419.** Et qui hæc faciunt, suorum solent esse in-  
curiosi, alienorum solliciti. Stultum est, alios tam  
probè nosse, seipsum ignorare.

**420.** Nec amare tantum homines debes, sed  
etiam, quos æquum est, revereri, ac inter eos ho-  
nestè versari, & cum decore: in quo est officium  
vitæ communis.

**421.** Ne putes nihil interesse, ubi, cum quibus,  
apud quos agas.



## DE CONVICTU HO- MINUM,

**422.** **S**it tibi inter homines modestia, & mode-  
ratio in universo corpore, & præcipuè in  
oculis, ac ore toto, à quo absit species omnis fasti-  
dii &

dii & contemptus: absit gesticulatio & lascivia: serenitas illud & quietudo exornent; argumentum animi ad eum modum affecti.

**423.** Solum humanæ faciei tegumentum decorum inprimis & favorabile modestia & verecundia: quâ nudis nihil dici potest foedius aut detestabilius.

**424.** Desperanda illius salus, quem desit pudere malefacere.

**425.** Nec vultus sit in atrocitatem, aut severitatem nimiam compositus: unde colligitur sævus & impotens animus.

**426.** Risus ne sit frequens, aut immoderatus, aut cum clamore & concussione corporis, ne in cachinnum aut irrisum exeat.

**427.** Nullam esse rem talem existima, quæ te tantopere queat exhilarare, ut ingentem attollere risum cogat.

**428.** Sed risus potest esse causa aliqua, irrisus nulla.

**429.** Irridere bona nefas, mala crudelitas, media stultitia, probos impium, improbos sævum, notos immanitas, ignotos dementia: deniq; hominem inhumanum.

**430.** Oculi sint quieti: Manus ne ludibundæ, ne gesticulatrices.

**431.** Nec



**431.** Nec assuesce quendam cædere, ex talitro venit ad pugnum, hinc ad fustem & ferrum.

**432.** Solos bonos vero ac germano honore prosequere, qui ex veneratione animi nascitur.

**433.** Magistratibus exteriorem honorem exhibe, illisq; audiens esto, etiam si gravia & molesta imperent: hoc enim vult Deus, propter publicam quietem.

**434.** Divitibus cede, ne irritati & tibi & aliis bonis noceant.

**435.** Seni assurge, reveritus ætatem & rerum usum, prudentiamq;, quæ in illa esse solet. Honorationi alienæ non modo paria facito, verum etiam, juxta præceptum Apostoli, præverte. Salutantem non resalutare, nec feliciter precanti feliciter reprecari, si id factum cognoscas, aut extremæ barbariei est, aut incuriæ secordissimæ. Quàm exiguæ res sunt & nullius impendii, salutatio, affabilitas, comitas, honor! at quàm magnas amicitias conglutinant exhibitæ, dissolvunt prætermisæ! Quanta est bonarum rerum ignorantia, nolle multorum benevolentiam tantulo redimere? Generosissimus ut quisq; est, & optimè educatus, ita se maxime mitem omnibus & comem præbet: ut fastidium & ferocia ex vilitate sunt, aut hebetudine, aut imperitia: unde in bonas artes eruditio

Huma-

Humanitas nuncupata est. Ipse si non salutare, aut resalutare, negligentia magis adscribito, vel inconsiderantia, quam contemtu: parum blandè aut honorificè appellatus, seu moribus, seu naturæ attribue, non malitiæ vel odio. Hisce interpretationibus ac similibus, sanctam tibi ac jucundissimam parabis vitam, quippe omnes diliges, nec à quoquam te offensum arbitraberis. Vetus dictum, ut verax, ne suspicax: hoc verbis novum, sententia priscum, ut quietus, ne suspicax.

**436.** Neminem contemnere videaris, non vultu, non verbo, non facto aliquo.

**437.** Si inferior es, quis superiorum ferat se contemni abs te? sin major, irritas, & avertis minorem contemtu.

**438.** Intolerabilis est contemtus, propterea quòd nemo videtur sibi tam vilis, ut contemtum mereatur.

**439.** Multi laborant, ut à contemtu se vindicent, sed plures, ut de contemtu.

**440.** Nec quisquam tantus est, quem non aliquando fortuna indigere minimis cogat.

**441.** Præter hæc omnia, nullus est contemtibilis, quem Deus filium dignatur, nisi in hoc Dei judicium contemnas.

**442.** Et

**442.** Et sapè, quem homines contemptu dignum putant, si perscrutarentur, veneratione & adoratione dignissimum comperirent.



## DE VERBIS.

**443.** **L**inguam dedit Deus hominibus, ut sit instrumentum societatis & communio- nis, ad quam natura hominem homini conciliat.

**444.** Hæc magnorum & bonorum & malorum est causa, prout utaris. Scitè Jacobus Apostolus assimilavit eam clavo navis: freni sunt illi injici- endi, & cohibenda, ne vel aliis noceat, vel sibi ipsi.

**445.** Nullum est peccati ut facilius instrumen- tum, ita nec crebrius.

**446.** Nemini convicium feceris, neminem ex- seceris: nemini noceto, non modo in re, sed nec fama atq; existimatione.

**447.** In neminem petulantius aut procacius debaccheris, vel effusius ac immoderatus inve- hâre, etiam laceffitus & læsus. magis enim te & apud Deum, & apud homines cordatos lædes, quàm illum ipsum, cui maledicis.

**448.** Convicium convicio regerere, est lutum luto purgare.

**449** Mini-

**449.** Minitari muliercularum est, nec probarum.

**450.** Nec sis tam tener, ut verbulis transverbereris.

**451.** Nec facundiam exerceas caninam, nec disertum laudem affectes in alienam contumeliam, in quem infantem & mutum esse satius est.

**452.** Alios reprehendere ne sis sollicitus, hoc cura, ne in te sit, quod alii possint merito taxare.

**453.** Verum reprehendens ne utare acerbitate, aut atrocitate ulla verborum, fac ut objurgationis amarori aliquid admisceatur dulce, quod plagam leniat, si quam facis.

**454.** Modo ne fructus pereat reprehensionis, dum rem studes nimium mitigare: neu in assentationem prolaboris.

**455.** Assentatio deforme vitium, turpe illi, qui dicit: perniciosum ei, qui audit.

**456.** Nec putes rem ullam esse tantam, ut à recto & vero propter eam sustineas deflectere, non hoc abs te opes, non ullæ necessitudines, non preces, non minæ, non mortis metus, & certum periculum extorqueant.

**457.** Sic tibi & autoritatem parabis, & fidem, ut oracula putentur esse, quæcunq; dicas, aliter despicieris, & indignissimus judicaberis, qui vel audire.

**458.** Ser-

458. Sermone utitor modesto, civili, comi:  
non aspero, non rusticano, vel imperito, sed nec  
accurato aut affectato nimis: ne, quum loquen-  
dum sit, ut intelligamur, sermoni tuo interprete  
sit opus.

459. Nec contumeliosum usurpes sermonem,  
aut reprehensorium, aut rigidum, sed neq; blan-  
dum, aut fractum, aut adulatorium.

460. Est quiddam mediocre, quod nec suam  
dignitatem abjicit, nec alienam tollit.

461. Lascivia & spurcicies à sermone extirpan-  
da, ut à cibus venenum.

462. Ne celeritatem in loquendo nimiam susci-  
pias, nec ut cogitationem prævertant verba: nec re-  
spondeas, antequam, qua de re agatur, plenè intelle-  
xeris, & quid ille, cui respondes, dixerit, senseritq;.

463. Rarissimum debet esse illud Ciceronis,  
Quicquid in buccam; & meritò soli Attico dictum,  
ac nescio an usquam admittendum: quum inter  
amicos cavendum sit, ne quid dicamus, quod ami-  
citiã dirimat aut lædat.

464. Quàm turpe illud & periculosum, Lingva  
quò vadis?

465. **CHRISTUS** Dominus noster, sciens ex lo-  
quacitate plurima oriri mala, & illa in primis, quæ  
pugnant cum capite legis suæ, rixas, discordias, si-  
multates:

E

366. Ad-

**466.** Ad circumspeditionem loquendi interminatus est: De omni verbo ocioso, quod homines fuerint loquuti, reddituros eos rationem in disquisitione illa mundi.

**467.** Idcirco Psalmista inquit: Pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.

**468.** Ne sis in sermone immodicus, ac ne multus quidem: nève audiri velis solus; est enim in loquendo vicissitudo: etiamsi cum imperitissimis agas, aut vilissimis, sed nec adeò rarus aut tardus, ut ipse te auscultare existimeris, idq; facere, quòd singula tua verba singulæ tibi rosæ videantur.

**469.** Inter prudentes præstat audire, quàm loqui: sed est locus, ubi tacere tam est vitium, quàm loqui, quando non oportet. Nulla voluptas est tanta, quæ comparari queat colloquio prudentis hominis ac disertis.

**470.** Ne sis nimius percontator: est enim molestum & odiosum. Noris & illud Horatii, Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.

**471.** In differendo ne sis contentiosus, aut pertinax: si verum audias, hoc protinus silentio reverere, illiq; tanquam divinæ rei assurgito.

**472.** Sin non audias, nihilominus concede hoc vel amico, vel modestiæ tuæ: præsertim ubi nullū neq; probi mores detrimentum accipiunt, neq; pietas.

**473.** Su-

**473.** Supervacanea est contentio, si non adsit proficiendi spes.

**474.** Arrogantiam, aut jactantiam, aut superbam & fastidiosam autoritatem non ferunt homines, ne in maximis quidem viris, & omnem laudem meritis.

**475.** Ne verbis, quod scis, ostentes, sed rebus te ostende scire.

**476.** Nec, quicquid est jucundum tibi dicenti, idem credideris esse aliis audientibus.

**477.** Cave ne quid facias, quo securus non sis, nisi celetur: sed si fecisse contingat, nemini detexeris: quod taceri vis, prior ipse taceas. sin detecturus es, vide etiam atq; etiam, cui. Arcanum quid aut celandum maximè amico quum committis, cave ne jocum admisceas, ne ille jocum ut referat, occultum retegat.

**478.** Tibi verò arcanum creditum, accuratiùs & fideliùs custodi, quàm depositam pecuniam.

**479.** Nihil erit in humana vita tutum, si tollatur secretorum fides.

**480.** Si quid promiseris, præsta, etiam si res sit ardua in primis, & difficilis: saltem ut obligatam alteri tuam fidem solvas.

**481.** Si quid tibi sit promissum, ne exigas: acrior semper in te iudex, quàm in alios.

E 2

481 Exi.

**482.** Existimare decet te, homines habere sensum, rationem, mentem, judicium; ne speres, te illis posse persuadere, malefacta esse benefacta, aut contra: nec falli posse rebus simulatis, tectis, fucatis, adumbratis: quæ tandem produnt se, & fiunt tantò foediores ac invisiores, quantò priùs occultiores fuerant.

**483.** Infestis enim animis accipimus ea, quibus sumus decepti.

**484.** Ideò consultius est, omnia esse aperta, nuda, simplicia.

**485.** Nam etsi aliquando veritas initiò odiosa sit, deinceps tamen nihil est amabilius aut gratius.

**486.** Laborat aliquando veritas, nunquam opprimitur.

**487.** Nec mendacii utilitas solida est, ac diuturna; nec veritatis damnum diu nocet.

**488.** A mendacio, tamquam corruptela quadam, abhorreto: nihil enim humanæ conditioni abjectius, ut quod illam procul à Deo separat, diabolo similem ac mancipium facit.

**489.** Deinde seu tardè, seu celeriter mendacium deprehenditur, vertiturq; mentienti in turpem ignominiam.

**490.** Quid despectius aut vilius mendace.

**491.** Si mendacem te norint, nemo credet tibi, etiamsi affirmes verissima.

**292.** Con-



**492.** Contra si veracem, majorem habebit fidem nutus tuus, quàm aliorum sanctissimum jurandum.

**493.** Si non vis loqui repugnantia, si vis inesse verbis tuis constantiam, nihil opus est memoria, aut arte alia, quàm ut dicas semper, quod credis verum esse.

**494.** Verum vero consentiens, falsum nec vero, nec falso.

**495.** Sed si vis in opinione tua verum inesse, ne facile credas, nisi comperta, vel magnam veri faciem præ se ferentia.

**496.** Neu sis suspicax, unde illud sapienter dictum: Si vis esse verax, suspicax non eris.

**497.** Miserum illum, qui id egit, unde extricare se non potest, nisi per mendacium.

**498.** Jurare non consuescas. Sapiens enim ait: Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non recedet à domo ejus plaga.

**499.** Et Dominus in Evangelio suo vetat nos penitus jurare, tantum affirmare, ita est: aut negare, non est.

**500.** Magna est Dei reverentia, non illum passim, aut facilè testem adducere, non hoc debet, nisi ab invito & coacto fieri.

**501.** Qui facilè in seriis jurat, in jocos jurabit: qui in jocos & in mendacio. E 3 qui

502. Si qui tibi credituri sunt, æquè injurato credent, ut jurato: non credituri magis etiam jurejurando avertentur.



## QUOMODO HOMINIBUS UTENDUM.

503. **I**nter homines est aliquod faciendum discrimen. Sunt enim ex eis alii domestici, alii noti tantum, alii ignoti.
504. Domesticos voco, consanguineos, affines, & quibus cum in eadem domo & familia degis.
505. Omnes sunt diligendi, etiam in ignotos talem te ostendes, ut sentiant, te in universum toti generi humano amicum esse, omnibusque bene cupere.
506. Non tamen te eundem præstabis omnibus, ut lineam albam in albo saxo; alios adhibebis consiliis, aliis parebis & obsequere, alios reverberis ac coles, aliis gratiam referes, si quod ab iis tuleris beneficium: & iis potissimum, quorum opera usus es utili tibi, aut diligenti, aut fideli.
507. In quo animus pro opere computandus est, non in multo pejore loco videatur esse, qui conatus est, qui voluit prodesse, quam qui profuit.

608. Ope-

**508.** Operam si accepisti, ne sis minus de reddendo & compensando sollicitus, quàm si pecunias mutuas.

**509.** Nec putes minus esse operam dedisse duntaxat honestam, & à sincero profectam animo, quàm pecuniam: quin hoc majus, quo cuiq; corpus quàm externa charius debet esse. Ne expectes, dum necessitates ad te suas familiaris deferat: tu illas odorare, & eis ultrò subvenias. Honestis precibus occurre, & antequam oreris exorare.

**510.** Parentes non amabis solùm, sed secundum Deum unicè venerabere: illorum jussis, tamquam divinis imperiis, obtemperabis:

**511.** Persuasus, id quod res habet, illos vicem tibi referre in terris Dei, nec te vel chariorem cuiquam, esse, vel majori curæ.

**512.** His proximi sunt præceptores, παιδονόμοι tutores deniq; quibus commendata est morum tuorum cura, quibus nihil est in homine preciosius aut præstabilius.

**513.** Istos velut alteros parentes ama & reverere: his modestè, imò cum alacritate quadam pare, reputans, quæcunq; præcipiunt, non ad sua illos referre commoda, sed ad tua.

**514.** Quod quum ita sit, Pessimam tu illis gratiam redderes, si, ubi ipsi commodis tuis inten-

tissimi sunt, tu eis odium aut contumaciam pro tali beneficio reponeres.

**§15.** Crede te illi esse charum, à quo amicè reprehenderis,

**§16.** Nec unquam reprehensionem obesse, vel inimici, nam si vera objicit, ostendit quod emendemus: si falsa, quod vitemus, Ita semper vel meliores reddit, vel cautiores,

**§17.** Quos familiares tibi facturus es, explora prius, quibus sint moribus, & quemadmodum se cum aliis amicis gesserint, ne te postea necessitudinis poeniteat.

**§18.** Ne familiaris illi fias, cujus familiaritatem bonos vides averfari. Eos etiam vita, qui non te amabunt, sed tua: quales sunt parasiti, & quorum consuetudine ac tamquam affricu vel peior fies, vel labem aut periculum contrahes, Illos quoq; qui amicis felicioribus invident: tum qui jocosum studiosi, nihil pensi habent, in vitam & maxime arcana amicorum ludere, ac dicta dicere: aut innata loquacitate reticenda cum primis effutiunt. Sed illos potissimum, qui ob levem rixulam gravissimas inimicitias cum charissimis suscipiunt, acriusq; eos ulciscuntur, quos aliquando amarunt, quàm quos semper oderunt: barbarica quadam persuasione, minus ferendam esse injuriam

riam

riam quæ fit ab amico, quàm quæ ab inimico, in quo se ostendunt nunquam amasse: alioqui non putarent se tam citò læsos: ejusmodi præstat inimicos aut certè ignotos habere, quàm amicos.

**519.** Esto in admittendis ad familiaritatem cunctantior, in retinendis semel admissis constantior.

**520.** Familiares elige: non placituros tantùm, sed & profuturos: non eos, qui omnia loquentur ad gratiam, sed qui ad commodum: nec qui suaviter assentabuntur, sed qui verè admonebunt.

**521.** Si consueveris assentatoribus delectari, nunquam verum audies.

**522.** Ex bestiis exitiabiles maximè inter feras invidia, inter mansuetas adulatio.

**523.** Quàm amanda sapientia & virtus, tam execranda assentatio: quæ impedit, ne illuc perveniamus, dum suadet jam pervenisse: tam diligenda recta admonitio, quæ illuc provehit, dum, quantum supersit, & quemadmodum conficiendum sit, docet. ceris.

**524.** Si reprehendi fers agrè, reprehèdenda ne feres.

**525.** Miserum illum, qui admonitorem, cum eget, non habet.

**526.** Malorum hominum consuetudinem, non secus atq; ic̄tos peste, devita: utrinq; enim metuendum contagium.

E 5

527. Nisi

**527.** Nisi talis sis, qui confidas te posse illos meliores reddere.

**528.** Sed huic fiducia non est nimis fidendum: praesertim quoniam natura nostra in malum fertur prona: ad virtutem autem acclivis est atq; ardua semita.

**529.** Explora & ipse qui sis, quo loco, quâ conditione: nec putes rem ullam esse tantam, ob quam tibi plus quàm cæteris liceat.

**530.** Quo tibi plus, concedente more, licet, hoc minus, retrahente moderatione, libeat.

**531.** In minores præbe te comem, in majores reverentem, in pares facilem ac tractabilem.

**532.** Sic ut vitio sis semper durus, rigidus, inexorabilis.

**533.** A potentioribus contemni te ne iniquè accipias: potiusq; id crede fortunæ vitio fieri, quàm hominis.

**534.** Si quid à minore proficiscatur, quod tibi parùm placeat, cogita, non id protinus contumeliam esse, sed libertatem.

**535.** Te etiam nimis esse delicatum, cui leves titillationes, grandes videantur esse plagæ.

**536.** Nec oportet existimes, te solum esse hominem, reliquos pecudes, quibus nec mutire liceat. Homo es, vive æquo cum reliquis hominibus jure.

**537.** Imò

- § 37.** Imò verò si sapientior es, si melior, hoc indulge, hoc concede magis de jure tuo cæteris, tamquam imperitioribus, aut imbecillioribus: tibi verò minus velis ignosci, cui tantum robur Sapientia & virtus attulere.
- § 38.** Si virtute non excellis, cur postulas videri aliis potior? si excellis, cur affectibus moderandis, non plùs quàm vulgus præstas?
- § 39.** Injuriam accipere, quam facere; decipi quàm decipere, satius & præstantius: quod nec humana ignoravit sapientia, ut Socrates, Plato, Aristoteles, Seneca.
- § 40.** Memineris humanæ imbecillitatis esse falli, errare: ne te graviter aliorum delicta offendant, præsertim adversum.
- § 41.** Ignoscere, generosi pectoris: iram retinere, atrocis, sævi, degeneris, vilis: quod & natura in mutis animalibus ostendit.
- § 42.** Quumq; Deus nihil vel crebriùs faciat, vel libentiùs, quàm ignoscere, quis est tam demens, qui negare possit, illud esse pulcherrimum atq; excellentissimum, quo tam propè ad naturam illam accedimus summi & præpotentis Dei.
- § 43.** Eris in homines talis, qualem cupis **CHRISTUM** erga te.
- § 44.** Et est profectò æquum, ut eam tu des hominibus veniam, quàm in eisdem delictis, aut aliis non multò levioribus ipse eges.
- § 45.** Nulla oratio præstantior, aut efficacior apud Deum, illà, quam edocti sumus ab ejus filio **CHRISTO** Domino, quæ idcirco Dominica nominatur.
- § 46.** At illam non potes verè ac puro animo dicere, nisi toto pectore homini condonaris, quicquid ipse condonari tibi à Deo petis.

**§ 47.** Hæc

**347.** Hac lege remittitur nobis ingens debitum, si nos exiguum remittamus.

**348.** Quicquid unquam homo in hominem peccavit, minutissima pars est ejus, quod quivis hominum singulis momentis in Deum peccat, nimirum tantum, quantum major & excelsior est homine Deus.

**349.** Si cui es iratus, fac juxta monitum Apostoli, ne sol occidat super iram tuam.

**350.** Concessurus cubitum, omnes ex animo rixas, iras, offensiones, cupiditates, sollicitudines depone, ut composito & tranquillo animo placidissime te quieti tradas.

**351.** Cui semel ignoveris, cura ut ille sentiat bona fide id esse actum: ut nec ipse injuriarum memineris, & te experietur amicum, si qua in re juvare aut commodare illi potes.

**352.** Affectus injuriarum, cave ne ultionem tuis manibus de quoquam sumas: nec eam ulli mortalium mandes. non est tibi jus in servum alienum, imò in conservum tuum. Domino tuo injuriam facis, si non illi cognitionem relinquis de conservo tuo.

**353.** Atqui Deus est omnium Dominus, universi sumus ejus servi. Sit satis, te questum: ac ne queraris quidem. Oculus Domini singula intuetur, & juxta sacrum verbum ipse novit & facientem injuriam & patientem.

**354.** Iccirco sic ipse omnibus edicit: Mihi vindictam, & ego retribuam.

**355.** Nam cum in animo sit injuria, non in facto, solus Deus scit, qui fuerit animus, & quod ei debeatur supplicium.

**356.** Plerumque putamus eam esse injuriam, quæ non est: ut sunt nobis affectus nostri nimis chari, qui non sinunt nos singula rite examinare, sed ad judicandum transverfos vi sua rapiunt.

QUO



## QUOMODO SE QUISQUE GERAT ERGA SEIPSUM.

557. **C**onvenit te non charum modò esse tibi ipsi, sed etiam venerabilem præbere, ut pudeat te tui ipsius aliquid facturi vel ineptè, vel imprudenter, vel impudenter, fœdè, flagitiosè, sceleratè, nefariè, impiè.
558. Pluris facias iudicium conscientiaæ tuæ, quàm voces omnes ingentis multitudinis, quæ imperita & stulta est: ignota temerè ut probat, sic & damnat.
559. Conscientia est, quæ turbata maximos affert animo cruciatus: tranquilla, maximam beatitudinem, cui nullæ opes, nulla possunt regna comparari.
560. Hoc est, quod Dominus in Evangelio pollicetur suis, multò plura etiam in hac vita recepturos eos, quàm quæ pro se repudiarint.
561. Fama nec profutura malo, nec læsura bonum.
562. Mortuus quid plus referes de fama, quàm pictura Apellis laudata? aut æquus in Olympia victor? nec vivo quidem prodest, si eam ignorat: si novit, nihil affert illud, nisi ut sapiens contemnat, insipiens sibi magis placeat.
563. Conscientia verum, & solidum & duraturum reddit testimonium, plurimum in illo Dei iudicio valiturum, vitæq; hujus magna est magistra, & quemadmodum scitè ille dixit, Mur<sup>9</sup>aheneus, quo & tuti agimus inter innumera vitæ pericula, & securi: nec ullus est tantus terror, qui cum commoveat. est enim mente defixus Deo, illiq; fidit uni, ac se novit peculiari esse curæ, cui scit parere universa.
564. Turpe est aliis notum esse, ignotum sibi.
565. An non tibi sufficit, te & tibi notum esse, & (quod maximum est) Deo?
566. Qui

566. Qui tamen numinis curam abjiciunt, ut audacius & securius peccent, ii dupliciter sunt mali, quod nec homines reverentur, nec Deum.

567. Et in conscientiam injurii sunt: quam derident, ac deludunt; tamquam ob id spreverint famam, ut se conscientia suæ liberius vindicarent, quæ hac de causa effusius delinquit, quod nullo meru coercetur.

568. Hoc est amare se, conari, laborare, magnis precibus à Deo petere, ac contendere, ut excellentissima nostri pars ornata atq; exulta sit veris germanisq; ornamentis, nempe Religione.

569. Non is amat se, qui opes, qui honores amat, qui voluptates: deniq;, quæcunq; sive extrinsecus sunt, sive in corpore: quum potissima hominis pars sit mens.

570. Nec amat se, qui ignoratione sui seipsum fallit, vel falli se ab aliis patitur: interdum gaudet, cum ea sibi persuadet inesse bona, quæ nulla insunt.

571. Hic non est in homine amor sui, cum ipse sit animus: sed amor corporis inconsultus, cæcus, ferus, perniciosus sibi & aliis.

572. Quem non injuriâ caput esse, ac originem malorum omnium Socrates pronunciavit: quippe tollit charitatem mutuam: unde in genere humano mala omnia nascuntur.

573. Nimirum qui se hoc modo amat, is nec alienum amat, nec ab alio amatur. magis.

574. Superbus mitibus discors, superbis multo etiam

575. Servator noster brevi declarat documento, quid sit amare se, quid odisse. Qui odit, inquit, animam suam, nihil illi in rebus istis fortuitis aut perituris indulgendo, is verè amat eam, & salvam cupit: qui verò amat indulgendo, is odit, is vult perditam.

576. La-

**576.** Laborem pro æterno & cœlesti præmio quis nisi amens refugiat? cum nec caduca hæc & fragilia citra laborem acquirantur.

**577.** Hæc est lex eorum, quib<sup>9</sup> pater est Adam, ut laborent: hæc eorum execratio; quibus mater Eva, ut affligantur.

**578.** Quantò præstat anniti, ut maxima merces operâ nostrâ quæratur, quàm exigua, vilis, & evanida; atq; hinc sempiternus cruciatus & mœror!

**579.** Quid, quod facilius & tutius, & securius, ac proinde jucundius leviusq; est, bene agere: cum peccatum timoris & sollicitudinis sit plenum?

**580.** Peccatum hominis mors, ut jugulare seipsum videatur, quisquis peccat, abducit enim se à Deo, vitâ nostrâ, & à quiete conscientia lux, quâ nihil est beatius.

**581.** Peccati sordes ablues lachrymis, pœnitentia, & invocatione divinæ clementiæ, multùm huic confusus.

**582.** Occasio omnis peccandi & causa, intentissimâ curâ vitanda est. Sapiens ait: Qui amat periculū, peribit in eo.

**583.** Et imminet semper occasione suæ Diabolus, per quem nunquam nobis licet securis agere.

**584.** Semper est cum eo belligerandum, ut verè Job dixerit: Militia est vita hominis super terram.

**585.** Et quum sit hostis tam potens, robustus, vaser, tam callidus, veteranus, exercitatus, tot vires habeat, tot strategemata: nulla ratione, aut arte, aut vi nostra propria possumus pares illi, nedum superiores è conflictu excedere; iccirco diffisi nostris copiis, ad Deum accurrendum est, ad opem implorandam.

**586.** Hac causa Dominus ac Magister noster suis illud subinde præcipit, orent & religiosis affectibus à patre omnium petant, ne in tentationem ducantur, hoc est, in prælium, quo manus cum Diabolo conserant.

**587.** Et

§ 87. Et in oratione, quam ipse nos docuit, illa est coronis: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à pravo illo insidiatore.

§ 88. Sic ergo agamus semper, tamquam in acie armati, vigilantes, accincti, intenti, occasionibus nostris non indormientes: & cum tanta sit vitæ fugacitas, in tanta incertitate, ut ne crastinum quidem possit sibi quisquam polliceri, stultum est & periculosissimum, si spes nostras in longum tendamus, differamusq; nos adornare futuro itinere, quò singulis momentis vocamur, in scii quando (velimus nolimus) in illud pertrahemur. Quamobrem paremus nobis thesaurum ad futuram vitam, cui aliquid quotidie accrescat, quo instructi & confisi, nunquam per segnitiam aut socordiam inopinantes opprimamur, aut discedamus mœsti, sed parati abire, & vitæ hujus pleni, agentes præ nobis magnam & optimam spem vitæ, innocenter sancteque transactæ, per fidem filii Dei, & pietatem, quam nos edocuit: quo munere nullum potuit homini à Deo majus aut pulchrius dari, quo Deum noscimus, & quantum effici à mortali potest, æmulamur, sequimur, consequimur.

§ 89. Sine hoc quid est homo aliud, quàm immortale pecus?

§ 90. Ut unus dies humanæ vitæ præferendus est longissimæ ætati corvi, aut cervi: ita dies unus ex religione actus, hoc est, divinæ vitæ, toti æternitati sine religione anteponendus.

§ 91. Hæc est vita æterna, inquit Christus Dominus, ut agnoscamus patrem, & quem ille misit Jesum Christum.

§ 92. Hic est cursus absolutæ sapientiæ, cujus primus gradus est, nosse se: postremus, nosse Deum.

Regi seculorum immortalis, & invisibili, soli Deo  
honor & gloria.



Fc 757.

8


ULB Halle  
004 313 623


3



1017

1017





JOAN. LUD. VIVIS  
Valentini  
**INTRO-**  
**DUCTIO**  
Ad  
**ERAM SAPI-**  
**ENTIAM.**



**REGIOMONTI,**  
FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.  
ET ACAD. TYPOG.  
**ANNO M DC. LXXIII**

